

(per axima) Ergo & prius: aliquid eorum, quæ existunt, non existere a se ipso. in Modesta disquisitione p. 201, 202. ast conclusio hujus argumenti contra Raphsonii & Venerandi Autoris mentem negat dari ens ob alio, adeoque neque directe neque indirecte innuit dari Ens a se: nulla etiam est & Raphsonio contradicit consequentia: Si quædam existentia non existunt a se, h. e. existunt ab alio, sequitur nihil aliquid posse.

- d) observo nimirum 1) integram Raphsonii demonstrationem esse evolendam, unde elucescet, eandem quam maxime accedere ad argumentum Wolffianum a contingentia rerum petitum: 2) Raphsonio & plerisque Mathematicis ac logis methodum Mathematicam hucusque visam fuisset toto cælo diversam a Syllogismis, v. Rœtenbeccii Log. Q. 1916, hanc observationem tetigit etiam D. Langius l. c. 3) Facili tamen opera & quidem ad mentem Raphsoni in contextu conspicuam hanc elicio argumentandi formam indirectam:

Aut existit Ens a se, aut nihil existit, aut nihil aliquid potest. Sed falsum est membrum 3. per Axioma, falsum est membrum 2. per post. E. restat ut verum sit membrum 1. Ens a se existere.

vel: Si non existeret ens a se, sequeretur aut nihil existere, aut nihil aliquid posse: Sed absurdum est utrumque, E. etiam prius. 4) Crypsin hic cernimus *omissionis* quoad majorem vel consequentiam disjunctivam; deinde *æquipollentia*, æquipollentes enim sunt istæ Propositiones: Verum est, aliquid existere; falsum est, nihil existere.

§. V.

Ex ordine tot tantarumque rerum, imprimis in motu constitutarum, ens ordinans sapientissimum, potentissimum certissime concluditur, a) etiam seposita ordinis hujus contingentia. b)

- a) Wolffiana Censura in Rat. Præl. p. 155. argumentum ceu vitiosum in materia ob præmissam falsam rejicit, deinde Fallaciæ dicti simpliciter accusat. Ast (quod *ως εν παραποσω* observare liceat) si esset Fallacia dicti simpliciter, laboraret vitio quatuor terminorum, nec niteretur præmissa falsa; si vero posteriori laboraret vitio, prioris simul argui non posset. Instantia ex Mathesi pura ab elegantissimo ordinae in absolute necessariis, ob quem potentia infinitæ numerorum, itemque infiniti numeri Polygoni unica formula generali complecti possumus, minime infringit Majorem hanc: Vbi datur ordo, ibi datur ordinans: siquidem 1) hæc agit de entibus realibus, instantia de entibus rationis. 2) absolute necessarius est solus Deus. E. ordini numerorum prædicatum hoc tribui nequit. 3) ex ipso hoc ordine numerorum Algebraico certissime colligimus fuisse Mathematicos, qui numeros ita ordinaverint. E. firma est Major hæc Propositio, nullo habito respectu discriminis inter ordinem necessarium & contingentem.
- b) S. R. D. Langius in Ausfuhr. Entd. p. 264. sqq. & Celeb. Apologeta S. R. D. Buddei in hujus æque ac aliorum argumentorum vindiciis contingentiam præter